An. et vol. XXXVI Augustus-September (Ser. II, v. XI) – Num. 8 et 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 233 – Epistula Apostolica, p. 238 – Nuntius radiophonicus, p. 249 – Epistulae, p. 259 – Allocutiones, p. 262.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 244 – *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Notificatio, p. 245 – *S. C. de Propaganda Fide*: Provisio Ecclesiarum, p. 266 – *S. C. Rituum*: Decreta, pp. 246-267.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 248.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 270-272.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 6 — extra Italiam, *L. it.* 6,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXVI, n. 8 - 14 Augusti 1944)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *De Yukon et Prince Rupert atque de Grouard* (de Whitehorse et de Prince Rupert) - Vicariatus apostolicus de Yukon et Prince Rupert dismembratur et duo exinde Vicariatus «de Whitehorse» et «de Prince Rupert» eriguntur. - *14 Ianuarii 1944* . . . 233

II. *Campinensis* (Piracicabensis). - A Dioecesi Campinensi territorii pars distrahitur et nova exinde Dioecesis Piracicabensis erigitur, Metropolitanae Ecclesiae S. Pauli in Brasilia suffraganea. - *26 Februarii 1944* . 235

EPISTULA APOSTOLICA

Ad Revmum P. Norbertum de Boynes, Societatis Iesu Vicarium Generalem necnon Sodalitatis a precationis apostolatu Moderatorem: saeculo exeunte ab eiusdem Sodalitatis constitutione. - *16 Iunii 1944* 238

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PAG.

Provisio Ecclesiarum 244

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Notificatio. De indulgentiis lucrandis in recitatione Salutationis Angelicae iuxta textum in ritibus orientalibus usitatum. - *22 Aprilis 1944* . . . 245

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Decretum de *Tuto* pro canonizatione Beati Michaëlis Garicoits, confessoris, fundatoris Societatis Presbyterorum Ssmi Cordis Iesu de Bétharram. - *30 Aprilis 1944* 246

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis: Mediolanen. - Nullitatis matrimonii (Silva-Nucci). - *9 Augusti 1944* 248

(An. XXXVI, n. 9 - 22 Septembris 1944)

ACTA PII PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

PAG.

A Beatissimo Patre, die 1 Septembris a. 1944, quinto vertente anno ab inito praesenti bello, orbi universo datus 249

EPISTULAE

I. *Omnia profecto.* - Ad Emum P. D. Emmanuelem tit. Ss. Marcellini et Petri S. R. E. Presbyterum Cardinalem Gonçalves Cerejeira, Patriarcham Ulyssiponensem, quem deputat Legatum ad consecrandam novam aedem cathedralem in urbe «Lourenço Marques». - *28 Maii 1944* . . . 259

II. *Quattuor abhinc annos.* - Ad R. P. D. Henricum S. R. E. Cardinalem Gasparri, Episcopum Veliternum, Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae Praefectum, dena lustra ab inito sacerdotio explentem. - *4 Augusti 1944* 260

ALLOCUTIONES

I. Ad Legatum Columbiae. - *13 Augusti 1944* 262

PAG.

II. Ad Legatum Neerlandiae. - *16 Augusti 1944* 264

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Provisio Ecclesiarum 266

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Taurinen. - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servi Dei Clementis Marchisio, Praepositi Ripae Albae, Fundatoris Instituti Filiarum S. Iosephi. - *28 Aprilis 1944* . . . 267

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 270

II. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 270

III. Necrologio 272

An. et vol. XXXVI 14 Augusti 1944 (Ser. II, v. XI) – Num. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE YUKON ET PRINCE RUPERT ATQUE DE GROUARD
(DE WHITEHORSE ET DE PRINCE RUPERT)

VICARIATUS APOSTOLICUS DE YUKON ET PRINCE RUPERT DISMEMBRATUR ET DUO EXINDE VICARIATUS « DE WHITEHORSE » ET « DE PRINCE RUPERT » ERIGUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Impensum quo flagramus studium evangelicam in terris prolatandi veritatem Nos impellit ut, quum in aliqua regione auctus christifidelium numerus diligenti Sacrorum Antistitum ministerio et recto christifidelium regimini officere videatur, mutatis eiusdem regionis condicionibus sollicite prospiciamus. Cum itaque, uti Nobis relatum est, Vicariatus Apostolicus de Yukon et Prince Rupert, in Canada, postremis hisce temporibus non mediocre acceperit incrementum, eiusque populus ita auctus sit ut in dissita regione illa duo iam notabilia oeconomicae et politicae rei centra sint constituta, peropportunum visum est Missionem illam in duos Vicariatus Apostolicos dividere. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, prae oculis habentes venerabilis Fratris Ildebrandi Antoniutti, Archiepiscopi titularis Synnadensis in Phrygia et Delegati Apostolici in Canada, propositiones, nec non venerabilium Fratrum Aemilii Bunoz, illius Vicariatus Praesulis, eiusque Coadiutoris cum futura successione Ioannis Coudert sententiam, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E.

Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine haec quae sequuntur statuimus atque decernimus: 1) Vicariatum Apostolicum de Yukon et Prince Rupert bifariam dividimus, ita ut duo posthac Vicariatus habeantur: alter, ad septentrionem situs, qui *de Whitehorse* nuncupabitur, alter, qui *de Prince Rupert* nomen servabit; 2) Linea divisionis Vicariatuum limites meridionales sequetur districtus *Telegraph Creek* vulgo appellati; 3) Insuper e finitimo Vicariatu Apostolico de Grouard partem territorii, quae ad occidentem iacet meridiani 120, separamus et duobus praefatis Vicariatibus adnectimus, ita ut statio missionalis *Fort Nelson* novo Vicariatui de Whitehorse tribuatur, statio vero *Fort St. John* Vicariatui de Prince Rupert aggregetur, secundum parallelum 58; 4) Vicariatus isti, ita limitibus contenti, metropolitanae ecclesiae Vancuveriensi suffraganei subiicientur; 5) Venerabilis Frater Vicarius Apostolicus de Yukon et Prince Rupert deinceps de Prince Rupert tantum titulum geret.

Novis itaque ita efformatis Vicariatibus Apostolicis eorumque pro tempore Vicariis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent; eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam divisionis, constitutionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die quartadecima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOYSIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Ioseph Wilpert, *Dec. Collegii Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXVIII, n. 17. – Al. Trussardi.

II

CAMPINENSIS
(PIRACICABENSIS)

A DIOECESI CAMPINENSI TERRITORII PARS DISTRAHITUR ET NOVA EXINDE DIOECESIS PIRACICABENSIS ERIGITUR, METROPOLITANAE ECCLESIAE S. PAULI IN BRASILIA SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Vigil Campinensis Ecclesiae Antistes, venerabilis Frater Paulus a Tarso Campos, mente evolvens suam dioecesim nimio redundare territorio ac proinde perutile fore, ad maius dominici gregis bonum assequendum eumdemque facilius gubernandum, illam bipartire novamque exinde dioecesim erigi alteri Pastori committendam, ut id ab Apostolica Sede efficiatur enixis precibus expostulavit. Quibus Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consulto, habito quoque favorabili voto venerabilis Fratris Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania et Nuntii Apostolici apud Brasilianam Rempublicam, lubenti animo annuendum censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab illa Campinensi dioecesi territorii partem distrahimus, quae sequentes comprehendit paroecias: *Santo Antonio di Piracicaba, Bom Jesus, Vila Rezende, Saltinho, Ibiruruna, Xarqueada, Santa Barbare, Rio das Pedras, São Pedro, Santa Maria, Capivarí, Vila Raffard.* Harum autem paroeciarum territorium in novam erigimus dioecesim, quae a *Piracicaba* urbe « Piracicabensis » nuncupabitur, et in hac quidem urbe sedem episcopalem statuimus. Episcopi vero cathedram in paroeciali Ecclesia, Deo in honorem S. Antonii a Padua dicata, in eadem urbe extante, figimus, ipsamque propterea ad Cathedralis gradum et dignitatem evehimus. Noviter insuper ita erectae Cathedrali Ecclesiae eiusque pro tempore Episcopis omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia, et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Praesules ex iure communi pollent, eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Hanc porro Cathedralem Ecclesiam Piracicabensem suffraganeam constituimus Metropolita-

nae Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico S. Pauli in Brasilia Archiepiscopi iuri subiicimus. Quum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in hac nova dioecesi Cathedrale Capitulum modo instituatur, indulgemus ut interim, pro Canonicis, Consultores dioecesani ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Episcopalem autem mensam constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Mandamus insuper ut in nova hac dioecesi quam primum fieri poterit saltem parvum Seminarium dioecesanum iuxta Codicis praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Universitatibus Studiorum traditas erigatur; itemque ut ipsius dioecesis Piracicabensis sumptibus bini delecti iuvenes, aut modo saltem unus, in Pontificium Seminarium Brasilianum de Urbe, non intermissa vice, mittantur, ut ibi, sub oculis fere Romani Pontificis, in spem Ecclesiae educentur. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi rite servanda, iubemus quae Sacri Canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici dioecesi illi adscripti censeantur, in cuius territorio legitime degunt. Volumus denique ut omnia documenta et acta, novam hanc dioecesim eiusque clericos et fideles respicientia, a Cancellaria dioecesis Campinensis quam primum fieri poterit Cancellariae novae dioecesis Piracicabensis tradantur, ut in eius archivo diligenter serventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Benedictum Aloisi Masella, Nuntium Nostrum in Brasiliana Republica, delegamus, eique propterea ad id necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et ipsi onus imponimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem Consistorialem quam primum fieri poterit transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo va-

lidas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo quarto, die sexta et vicesima Februarii mensis, Pontificatus Nostri anno quinto.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Carolus Respighi, *Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Apost., vol. LXVIII, n. 33 – Al. Trussardi.

EPISTULA APOSTOLICA

AD REVM̃UM P. NORBERTUM DE BOYNES, SOCIETATIS IESU VICARIUM GENERALEM NECNON SODALITATIS A PRECATIONIS APOSTOLATU MODERATOREM: SAECULO EXEUNTE AB EIUSDEM SODALITATIS CONSTITUTIONE.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cum proxime exeat saeculum, ex quo non sine providentis Dei consilio pia sodalitas, quae a Precationis Apostolatu nuncupatur, feliciter constituta fuit, Nos, dum undique dolores rerumque angustiae premunt, ex uberum illorum fructuum recordatione, quos per diuturnum hoc temporis spatium haec societas opitulante Numine edidit, summum haurimus solacium. Quamobrem cum tibi, qui huic bene merenti consociationi praees, tum iis omnibus, imprimisque Societatis Iesu sodalibus, qui eidem augendae provehendaeque dant operam, paterno gratulamur animo, optamusque non praeteriri huius faustitatis eventum, quin debitis illam honestemus laudibus, itemque ad pia impensaque voluntate eam participandum christifideles adhortemur omnes.

Quam arcte hoc institutum cum Ecclesiae profectu animorumque bono cohaereat, facile intellectu est. Etenim si precatio communiter habita, quae « sicut oportet » [1] fiat, satius nobis Dei clementiam bonitatemque conciliat ex ipsius Iesu Christi pollicitatione dicentis: « Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est »; [2] quanto magis apud aeterni Numinis solium ea valere dicenda est, quam non duo solummodo fundant, sed ad bene multa fere ubique terrarum centena milia christiani peculiari ratione caritatisque vinculo copulati. Idque eo vel magis quod per laudabilem eiusmodi sodalitatem cum adsiduis sociorum precibus placamina quoque ac piacula coniunguntur; quod insontes pueri, quorum animi candor divinam facilius commovet misericordiam, in hoc impetrationis placationisque inceptum frequentissimi adsciscuntur; quod denique Deiparae Virginis patrocinium hac de causa praesentissimum interponitur, ac communes hae supplicationes expiationesque precibus illis ac piaminibus coagmentantur, quibus Sacratissimum Cor Iesu, semet ipsum in Augusto altaris Sacramento offerens, aeternum Patrem interpellat pro nobis. Quod enim huius societatis sodales veluti

[1] *Rom.*, 8, 26.
[2] MATTH., 18, 19

peculiare sibi inditum propositum habent hoc est: ut nempe pro Ecclesiae necessitatibus enixe deprecentur, iisdemque omni ope satisfaciant; atque adeo hac de causa Deo cotidie preces, actus, aerumnas pio deferentes animo, universam vitam cuiusque suam in impetrationem ac piamentum convertant. Quin immo dum haec omnia — Divini Iesu Christi Cordis deprecationibus, quibus adiunguntur, in immensum adaucta — per Immaculatum Mariae Virginis Cor misericordiarum Patri praebent, ad Regnum Dei latius constituendum amplificandumque non parum pro facultate conferunt. Cum igitur non ad unum dumtaxat vel alterum Ecclesiae emolumentum ac profectum haec sodalitas respiciat, sed ad Dei gloriam hominumque salutem pro viribus procurandam, cumque illa Dominicae Precationis verba « Adveniat Regnum tuum » veluti tesseram sibi propriam habeat, idcirco a ceteris omnibus piis consociatibus, quibus fecunda Iesu Christi Sponsa exornatur, clare discernitur, luculenteque distinguitur. Ut vero innumerus hic comprecantium exercitus supernas vires supernaque arma sua ne distrahat, sed in unum convertat, duplex singulis mensibus supplicandi ratio ac mens universis sociis proponitur, quam ipse Romanus Pontifex recognoscit, comprobat, ac caelesti benedictione auget: altera scilicet mens ac ratio generalis est; altera autem ad sacras spectat missionalium expeditiones fovendas promovendasque.

At putandum non est laudabilem hanc societatem universae tantummodo Ecclesiae bono prospicere; quandoquidem, ut Decessor Noster imm. rec. Pius XI asseverat, singulis etiam sodalibus « continentes uberesque ab initiis suis fructus protulit spiritualis boni ». [3] Etenim consociatos omnes ad adsiduae precationis usum excitat ac permovet secundum illud: « Oportet semper orare et non deficere ». [4] Ac praeterea, quandoquidem nostris hisce temporibus illud fallaciae plenum commentum, quod « naturalismum » vocant, omnia pervadere conatur, ac per « haeresim actionis », ut aiunt, vel in ipsas spiritualis vitae et apostolicae navitatis rationes irrepere contendit, non sine summa opportunitate utilitateque per pium hoc institutum vestrum christifideles ad illud revocantur doctrinae caput, quo edocemur « neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deum ». [5]

Huc accedit quod sodalitas vestra ad solidam verique nominis pietatem suos asseclas instituit ac dirigit. Eis enim suadet ut piae semper mentis intentione omnia cuiusque sua ad Deum erigant ac dirigant,

[3] Litt. Apost. *Apostolatus orationis*, d. d. VI Aug., a. MDCCCCXXXII.

[4] Luc., 18, 1.

[5] Cf. *I Cor.*, 3, 7.

quod quidem recti omnes sacrae disciplinae magistri praeclarissimum ducunt ac praecipuum spiritualis perfectionis adiumentum. Eosque adhortatur universos ut, quae pietatis exercitia minus probata sint devitantes, cultum Sacratissimi Cordis Iesu promoveant, in quo « totius religionis summa atque adeo perfectioris vitae continetur »; [6] itemque ut Augustum colant Eucharistiae Sacramentum, quod « tamquam centrum existimandum est, in quo christiana vita, quanta usquam est, insistit »; [7] ac denique ut Deiparam Virginem, eiusque Immaculatum Cor, quod « vas insigne devotionis » [8] est, revereantur impenseque diligant. Nec deest in instituto hoc vestro flagrantis caritatis studium erga Romanum Pontificem, cui quidem quanto quis arctius adhaeserit, tanto erit ab omni periculo tutior.

Cum vero multiformis sit gratia Dei, [9] valde opportune societas ista ita conformata est, ut non eadem ab omnibus sodalibus postulet atque exigat, sed eos in gradus, seu ordines, dispertiens, variae animorum generositati facultatique se accommodet; atque adeo eis, « qui prae ceteris pietati dediti, singulari flagrant animarum studio, ideoque zelatores et zelatrices dicuntur », [10] altioris perfectionis viam commendet, ad eamque volenti animo ingrediendam eos alliciat suaviterque compellat.

Ex iis, quae adhuc, presse breviterque attingendo, diximus, facile cernere est, Dilecte Fili, quantopere haec pia societas conferat ad « Actionem Catholicam » ad ceterasque consociationes, quae adiutricem in Ecclesiae apostolatu navant operam, provehendas efficiendasque cotidie magis frugiferas. Etenim, praeterquam quod exploratum est sine divino auxilio — quod per instantem adsiduamque precationem ad Deum admotam nobis esse comparandum nos admonet — incassum laborare homines, illud quoque animadvertendum est institutum hoc vestrum interiorem illam alere ac refovere vitam, qua Deo continenter coniungamur, quaeque veluti supernus sit afflatus veracis validique apostolatus; ac praeterea, cum singulis mensibus peculiares Ecclesiae necessitates ante omnium sodalium oculos ponat, eosque excitet, ut iisdem satisfaciendis supplices Deo preces ac piacula offerant, idcirco procul dubio sociorum animos ad apostolicum studium permovet, et ad rectam eosdem id genus navitatem comparat, conformat, instruit. Quin immo,

[6] Litt. Enc. *Miserentissimus Redemptor*: *A. A. S.*, XX, p. 167.
[7] *Acta Leonis XIII*, p. 130: Litt. Enc. *Mirae caritatis*.
[8] Litan. Lauret.
[9] Cf. *I Petr.*, 4, 10.
[10] Statuta Apostolatus orationis, art. VI.

cum suos etiam cotidianos labores doloresque pro Ecclesiae necessitatibus aeterno Numini eos deferre iubeat, totius eorum vitae cursum non modo in impetrationem expiationemque convertit, sed in eiusmodi etiam apostolatus opera, quae cuilibet volenti facile pateant. Qua in re commentarii illi magna Nobis laude digni videntur, qui « Nuntius Cordis Iesu » inscribuntur, quique linguis amplius quadraginta editi, tam bene de Ecclesia merentur.

Sed in hac potissimum tempestate, dum odio simultateque seiuncti, acerrime inter se digladiantur populi, peculiari sane opportunitate pollet, peculiaremque vim habet pia ista societas ad animorum conciliandam firmandamque coniunctionem. Ex caritate enim orta, et ad caritem fovendam animorumque salutem procurandam ordinata, sodalium mentes, ex quavis gente, stirpe ac sermone sint, ad idem apostolicum propositum, eadem communi prece exsequendum efficiendumque, allicit atque compellit. Ac praeterea quibus coalescit comprecantium agmina singulari quadam ratione cum Iesu Christi Vicario arctissime coniungit, non modo quod, ut supra diximus, ad eius mentem singulis mensibus datam, funduntur preces, sed quod etiam, inde ab inito eiusmodi instituto, eius consueverunt socii « spirituales thesauros », qui dicuntur, colligere ac pro Summo Ecclesiae Pastore Deo offerre. Hisce autem postremis temporibus, cum Communis Patris aerumnae atque angustiae ingravescerent, id laudabili consilio inductum est, quod Nobis est sane gratissimum, ut cotidie nempe in universo terrarum orbe Eucharistica Sacrificia, auspice sodalitate vestra, ad mentem Nostram celebrarentur; qua quidem in re cernere libet priscae aetatis christianorum morem reviviscere, qui perseverantes erant in precatione sancta pro primo Christi Vicario: « Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo ».[11]

Sed fraterna haec animorum coniunctio, qua sodales inter se copulantur, in eum consummatur, qui est « Rex et centrum omnium cordium », [12] in divinissimum videlicet Cor Iesu, cui iidem se consecrant, ex quo vitam et apostolicam vim hauriunt, quod peculiari modo venerantur, et cuius communione invicem coagmentati, suas preces et piamenta Deo offerunt.

Cum tam uberes sint salutis fructus, quos haec societas per annorum decursum feliciter edidit, cumque vel uberiores cotidie felicioresque exspectentur, haud mirum est si Decessores Nostri summis eam laudibus exornarunt; ac Nosmet ipsi, qui inde ab inito Pontificatu, quoties-

[11] *Act.*, 12, 5.

[12] Litan. Sacratissimi Cordis Iesu.

cumque opportunitas data est, eidem benevolentiam Nostram ultro patefecimus, haud ita multo ante in Encyclicis Litteris « Mystici Corporis Christi » eamdem summopere commendare voluimus « utpote Deo gratissimam ». [13] Magno autem cum animi solacio ac gaudio cernimus haec comprecantium agmina fere omnes terrarum orbis partes pervasisse, ubicumque christiana fides fulgeat, christianaque caritas operetur; et in Dioeceses MCCC circiter inque paene innumeras paroecias, Episcopis iuvantibus ceteroque clero, fuisse invecta. Siquidem institutum hoc vestrum non modo in Europae et Americae regionibus viget, sed in Africanis etiam, in Asianis et in Oceanicis terris, ac vel in glacialibus illis plagis, quibus recens illuxit evangelicae lucis iubar; itemque non modo in religiosis domibus, in sacris Seminariis, in collegiis et ephebeis viret atque efflorescit, sed in Officinis etiam, in militum stationibus, in valetudinariis, ac vel in ipsis carceribus publicaeque custodiae locis. Ita quidem ut pacifica haec precantium acies trecenties et quinquagies centena milia consociatorum in suis ordinibus recenseat.

Nec minore cum solacio cernimus, praeter Societatem Iesu — in cuius sinu haec sodalitas orta atque enutrita est et in maiorem usque ubertatem constanter laudabiliterque increbrescit — sacrorum Antistites plurimosque ex utroque clero sacerdotes volentibus animis foederatisque viribus in pia hac consociatione, pro sua cuiusque parte, augenda, iuvanda, moderandaque sollerter elaborare.

Pergite igitur, dilecti Filii, quotquot piam hanc participatis societatem, per iter auspicato inceptum studiose cotidie magis progredi; pergite hoc institutum — quo ex sententia Decessoris Nostri fel. rec. Pii X, « nihil utilius » est « ad haec tanta et tam varia sananda mala, quibus humani generis societas est affecta » [14] — pro viribus fovere et usque quaque propagare; pergite ea omnia alacri impensaque navitate adhibere, quae ad Sacratissimi Cordis Iesu Regnum augendum amplificandumque valeant.

Nos cupimus vehementer ominamurque a Deo ut hic paene innumerus supplicantium exercitus non tantum militum numero succrescat, sed superna etiam virtute supernoque vigore adaugeatur; utque incenso illo impetrationis expiationisque studio affletur ac vigescat, quod totam sodalium vitam eorumque cogitationes, proposita ac vota permoveat, ita quidem ut iidem « non amplius petitores, sed petitiones » [15] sint; illo dicimus impetrationis expiationisque ardore, quo — ut per proxi-

[13] *A. A. S.*, XXXV, p. 246.

[14] Epist. ad R. P. Iosephum Boubée: *A. A. S.*, III, p. 345.

[15] Cf. GREGOR. MAGN., *In I Reg.*, XII, 2: MIGNE, *PL*, LXXIX, 338.

mum Decembrem mensem ad mentem Nostram iam vobis ex more patefactam deprecaturi estis — christianos omnes oportet magis in dies magisque imbui.

Quae ut feliciter, adspirante Deo, eveniant, efficiat Apostolica Benedictio, quam caelestium gratiarum auspicem, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte Fili, tum piae huius consociationis moderatoribus, fautoribus ac sodalibus singulis universis effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Iunii, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno MDCCCCXXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 29 Iulii 1944. — Cathedrali Ecclesiae Valdiviensi, nuper erectae, praefecit Exc. P. D. Arthurum Mery Berkdorf, hactenus Episcopum titularem Parnassenum.

— Cathedrali Ecclesiae Cajazeirasensi R. D. Henricum Gelain, parochum oppidi *Antonio Prado,* in dioecesi Caxiensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Coracesiotanae R. D. Aemilium Brigard, Vicarium Generalem archidioecesis Bogotensis in Columbia, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Ismaëlis Perdomo, Archiepiscopi Bogotensis in Columbia.

die 5 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Centuriensi R. D. Stanislaum Czajka, Rectorem Seminarii Czestochoviensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Theodori Kubina, Episcopi eiusdem dioecesis Czestochoviensis.

die 8 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Ovetensi Exc. P. D. Biniaminum de Arriba Castro, hactenus Episcopum Mindoniensem.

— Cathedrali Ecclesiae Auriensi, R. D. Franciscum Blanco Nájera, Vicarium Generalem dioecesis Cordubensis.

— Cathedrali Ecclesiae Oriolensi R. D. Iosephum García Goldáraz, Archipresbyterum Capituli Cathedralis Matritensis.

— Cathedrali Ecclesiae Segobricensi R. D. Raymundum Sanahuja Marcé, Parochum Archipresbyterum oppidi *Tarrasa,* in dioecesi Barcinonensi.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

NOTIFICATIO

Die 3 Iunii a. 1888 Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sequens Rescriptum emisit: « Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a Ssmo D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, benigne declarat, et quatenus opus est indulget, ut Salutatio Angelica prouti hucusque recitari consuevit apud Ruthenos necnon alios Christifideles ritus orientalis, quoties praescribatur uti conditio necessaria ad Indulgentias lucrifaciendas, aeque valeat ad huiusmodi effectum ut Salutatio Angelica quae recitatur a Christifidelibus Ecclesiae latinae. Contrariis etc. ».

Cum autem a quibusdam disceptatum fuerit de sensu huius Rescripti, Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali sequentia dubia Sacrae Paenitentiariae Apostolicae solvenda proposuit:

1. utrum Rescriptum adhuc vigeat;

2. utrum Rescriptum valeat tantum pro fidelibus rituum orientalium, aut etiam pro fidelibus ritus latini, qui recitant Salutationem Angelicam iuxta textum in ritibus orientalibus usitatum;

3. utrum Indulgentiae, recitationi Ssmi Rosarii B. M. V. adnexae, lucrifieri possint ab omnibus, qui recitant Salutationem Angelicam iuxta textum in ritibus orientalibus usitatum.

Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 21 m. Martii a. 1944, ad proposita dubia respondendum censuit:

ad 1: affirmative;

ad 2.: negative ad primam partem, affirmative ad secundam;

ad 3.: affirmative, sed in publica recitatione nihil immutetur.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 22 m. Aprilis a. 1944.

E. Card. TISSERANT, *a Secretis.*

L. ✠ S.

† Ant. Arata, Archiep. tit. Sardianus, *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

BAIONEN.

CANONIZATIONIS B. MICHAËLIS GARICOÏTS, CONF., FUNDATORIS SOCIETATIS PRESBYTERORUM SS̃MI CORDIS IESU DE BÉTHARRAM.

SUPER DUBIO

An stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Canonizationem.*

Tanta animorum perversio atque a divina lege aversio gallici regni perturbationem, quae divina humanaque iura pessumdederat, XIX saeculo ineunte secuta est, ut humana industria atque prudentia nullimode huic malo remedium afferre potuisset.

Verum infinita Dei bonitas, tantas ruinas reparare volens, viros plures ac mulieres excitavit, qui virtutum splendore atque opera religiosam in populo vitam instaurando, multiplicibus infirmae societatis necessitatibus occurrerent, eius vulnera sanarent atque rei publicae disciplinam, iacto solido fundamento, restituerent.

Divinitus quippe anteacto saeculo in Gallia ad hoc excitati dicendi sunt Sancti: Andreas Hubertus Fournet, Ioannes Maria Vianney, Beatus Petrus Iulianus Eymard, Sanctae: Ioanna Antida Thouret, Maria Magdalena Postel, Magdalena Sophia Barat, Maria a S. Euphrasia Pelletier, nec Beatae: Ioanna Elisabeth Bichier des Ages, Aemilia de Rodat, Aemilia de Vialar, aliique quamplurimi, ex quibus non pauci altarium gloriae candidati videntur.

Beatus Michaël Garicoïts his heroibus est plane accensendus, qui. *Presbyterorum Societatem* constituendo, regnum *Sacratissimi Cordis Iesu* dilatare contra Ianseniana haeresim totis viribus adlaboravit. Suavissima quoque amicitia beati huius ac Venerabilis Ludovici Eduardi Cestac animos iunxit, qui in eadem Baionensi dioecesi pro Dei gloria animarumque salute, sancta aemulatione, efficacissime suas vires impenderunt.

Admodum quoque Beatus Michaël beatae Elisabeth Bichier des Ages ab eaque condito Instituto opera et consilio suppetias ivit, mutuum

necessitudinis vinculum inter utramque familiam inaugurans, quod adhuc sancte servatur. Hoc autem vinculum modo in eo est ut strictius devinciatur, eo quod cum beatus Michaël, tum beata Elisabeth ad sollemnem Canonizationem pari gressu procedunt. Etenim quod Tuto ad Canonizationem beatae Elisabeth procedi posset iam a die 2 Augusti mensis anno 1940, per Sacrae huius Congregationis decretum, Ssmus D. N. Pius Papa XII edixit, modo per hoc, quod hodie editur, idem pro beato Michaële decernitur. Et sane: post huius Beatificationem, quae die 10 Maii a. 1923 celebrata est, resumpta, die 23 Iulii a. 1924, ad Canonizationem causa, de duobus miraculis in hac sacra Congregatione disceptatum est, atque favorabile decretum die 27 Februarii mensis nuper elapsi est editum.

Ut autem finis in huius sacrae Congregationis foro causae imponeretur, reliquum erat ut coram eodem Ssmo D. N. dubium discuteretur: *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem Ipsius Canonizationem.* Quod in Generali Congregatione die 14 Martii elapsi mensis coram Sanctitate Sua a subscripto Cardinali S. R. C. Praefecto atque Causae Ponente seu Relatore factum est. Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores unanimi sensu in affirmativam concessere sententiam. Beatissimus vero Pater concorde hoc iudicium cum laetitia quidem excepit, verum Suam aperire mentem in hanc diem distulit, Dominicam tertiam post Paschalia gaudia, ut interim divinum lumen effusis precibus imploraret.

Quocirca arcessiri ad Se iussit eumdem Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci generalem Fidei Promotorem meque Secretarium, atque, Sacrosancto Missae Sacrificio devotissime celebrato, edixit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Beati Michaëlis Garicoïts Canonizationem.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 30 Aprilis, Dominica III post Pascha a. D. 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

MEDIOLANEN.

NULLITATIS MATRIMONII (SILVA-NUCCI)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini adv. Caietani Nucci, conventi in causa, eumdem citamus ad comparendum in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 23 Octobris 1944, hora undecima cum dimidio, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An sententia Rotalis diei 8 Iulii 1943 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Domini Caietani Nucci, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Iulius Grazioli, *Decanus, Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 9 Augusti 1944.

I. Stoppini, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Gaetano Nucci, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 23 octobre 1944, à 11 heures et demi, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence Rotale du 8 Juillet 1943 dans cette cause?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Mr Gaetano Nucci devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

An. et vol. XXXVI 22 Septembris 1944 (Ser. II, v. XI) - Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A BEATISSIMO PATRE, DIE I SEPTEMBRIS A. MDCCCCXLIV, QUINTO VERTENTE ANNO AB INITO PRAESENTI BELLO, ORBI UNIVERSO DATUS.

I - La difesa della civiltà cristiana

Oggi, al compiersi del quinto anno dallo scoppio della guerra, la umanità, mentre si volge indietro a rimirare il cammino di lagrime e di sangue affannosamente percorso in questo fosco quinquennio di storia, inorridisce dinanzi all'abisso di miseria, in cui lo spirito della violenza e il predominio della forza l'hanno precipitata, e pur senza lasciarsi abbattere dal ricordo del passato, ricerca ansiosamente le cause di una così funesta catastrofe spirituale e materiale, risoluta a prendere ogni più efficace rimedio contro il ripetersi, in altre forme, della immane tragedia.

Scossi dal cumulo di tante rovine, molti animi onesti si ridestano come da un sogno angoscioso, bramosi di trovare anche in altri campi — fino ad ora mutuamente separati e lontani — collaboratori, compagni di via e di lotta, per la grande opera di ricostruzione di un mondo, scalzato nelle sue fondamenta e dilacerato nella sua più intima compagine.

Nulla certamente di più naturale, nulla di più opportuno, nulla — supposte le indispensabili cautele — di più doveroso!

Per quanti si gloriano del nome cristiano e professano la fede in Cristo con una condotta di vita inviolabilmente conforme alle sue leggi, questa disposizione e prontezza di animo a lavorare in comune, nello spirito di una vera solidarietà fraterna, non obbedisce soltanto all'obbligo

morale del retto adempimento dei doveri civili; essa si eleva alla dignità di un postulato della coscienza sorretta e guidata dall'amore di Dio e del prossimo, cui aggiungono vigore i segni ammonitori del momento presente e la intensità dello sforzo richiesto per la salvezza dei popoli.

Il quadrante della storia segna oggi un'ora grave, decisiva, per tutta l'umanità.

Un mondo antico giace in frantumi. Veder sorgere al più presto da quelle rovine un nuovo mondo, più sano, giuridicamente meglio ordinato, più in armonia con le esigenze della natura umana: tale è l'anelito dei popoli martoriati.

Quali saranno gli architetti che disegneranno le linee essenziali del nuovo edificio, quali i pensatori che daranno ad esso l'impronta definitiva?

Ai dolorosi e funesti errori del passato succederanno forse altri non meno deplorevoli, e il mondo oscillerà indefinitamente da un estremo all'altro? ovvero si arresterà il pendolo, grazie all'azione di saggi reggitori di popoli, su direzioni e soluzioni che non contraddicano al diritto divino e non contrastino con la coscienza umana e soprattutto cristiana?

Dalla risposta a questa domanda dipende la sorte della civiltà cristiana nell'Europa e nel mondo. Civiltà che, lungi dal portare ombra o pregiudizio a tutte le forme peculiari e così svariate di vivere civile nelle quali si manifesta l'indole propria di ciascun popolo, s'innesta in esse e vi ravviva i più alti principi etici: la legge morale scritta dal Creatore nei cuori degli uomini,[1] il diritto di natura derivante da Dio, i diritti fondamentali e la intangibile dignità della persona umana; e per meglio piegare le volontà alla loro osservanza, infonde nei singoli uomini, in tutto il popolo e nella convivenza delle nazioni quelle energie superiori, che nessun potere umano vale anche soltanto lontanamente a conferire, mentre, a somiglianza delle forze della natura, preserva dai germi velenosi che minacciano l'ordine morale, di cui impedisce la rovina.

Così avviene che la civiltà cristiana, senza soffocare nè indebolire gli elementi sani delle più varie culture native, nelle cose essenziali le armonizza, creando in tal guisa una larga unità di sentimenti e di norme morali — fondamento saldissimo di vera pace, di giustizia sociale e di amore fraterno fra tutti i membri della grande famiglia umana.

Gli ultimi secoli hanno veduto, con una di quelle evoluzioni piene di contraddizioni di cui la storia è scaglionata, da un lato, sistematicamente minati i fondamenti stessi della civiltà cristiana, dall'altro, in-

[1] Cfr. *Rom.* 2, 15.

vece, il patrimonio di essa diffondersi pur sempre attraverso tutti i popoli. L'Europa e gli altri continenti vivono ancora, in diverso grado, delle forze vitali e dei principi, che la eredità del pensiero cristiano ha loro trasmessi quasi come in una spirituale trasfusione di sangue.

Alcuni giungono a dimenticare questo prezioso patrimonio, a trascurarlo, perfino a ripudiarlo; ma il fatto di quella successione ereditaria rimane. Un figlio può ben rinnegare sua madre; egli non cessa perciò di essere a lei unito biologicamente e spiritualmente. Così anche i figli, allontanatisi e straniatisi dalla casa paterna, sentono pur sempre, talvolta inconsapevolmente, come voce del sangue, l'eco di quella eredità cristiana, che spesso nei propositi e nelle azioni li preserva dal lasciarsi interamente dominare e guidare dalle false idee, a cui essi, volutamente o di fatto, aderiscono.

La chiaroveggenza, la dedizione, il coraggio, il genio inventivo, il sentimento di carità fraterna di tutti gli spiriti retti ed onesti determineranno in quale misura e fino a qual grado sarà dato al pensiero cristiano di mantenere e di sorreggere l'opera gigantesca della restaurazione della vita sociale, economica ed internazionale in un piano non contrastante col contenuto religioso e morale della civiltà cristiana.

Perciò a tutti i Nostri figli e figlie nel vasto mondo, come anche a coloro che, pur non appartenendo alla Chiesa, si sentono uniti con Noi in quest'ora di determinazioni forse irrevocabili, rivolgiamo l'urgente esortazione di ponderare la straordinaria gravità del momento e di considerare come, al di sopra di ogni collaborazione con altre divergenti tendenze ideologiche e forze sociali, suggerita talora da motivi puramente contingenti, la fedeltà al patrimonio della civiltà cristiana e la sua strenua difesa contro le correnti atee ed anticristiane è la chiave di volta, che mai non può essere sacrificata, a nessun vantaggio transitorio, a nessuna mutevole combinazione.

Questo invito, che confidiamo troverà un'eco favorevole in milioni di anime sulla terra, tende principalmente ad una leale ed efficace collaborazione in tutti quei campi, nei quali la creazione di un più retto ordinamento giuridico si manifesta come particolarmente richiesta dalla stessa idea cristiana. Ciò vale in modo speciale per quel complesso di formidabili problemi, che riguardano la costituzione di un ordine economico e sociale più rispondente all'eterna legge divina e più conforme alla dignità umana. In esso il pensiero cristiano ravvisa come elemento sostanziale la elevazione del proletariato, la cui risoluta e generosa attuazione apparisce ad ogni vero seguace di Cristo non solo come un progresso terreno, ma anche come l'adempimento di un obbligo morale.

II - Alcuni aspetti della questione economica e sociale

Dopo anni amari d'indigenza, di restrizioni e soprattutto di angosciosa incertezza, gli uomini attendono, al termine della guerra, un profondo e definitivo miglioramento di così tristi condizioni.

Le promesse di uomini di Stato, le molteplici concezioni e proposte di dotti e di tecnici, hanno suscitato fra le vittime di un malsano ordinamento economico e sociale una illusoria aspettazione di palingenesi totale del mondo, un'esaltata speranza di un regno millenario di universale felicità.

Tale sentimento offre un terreno favorevole alla propaganda dei programmi più radicali, dispone gli spiriti a una ben comprensibile, ma irragionevole e ingiustificata impazienza, che nulla si ripromette da organiche riforme e tutto aspetta da sovvertimenti e da violenze.

Di fronte a queste tendenze estreme il cristiano, che seriamente medita sui bisogni e le miserie del suo tempo, rimane nella scelta dei rimedi fedele alle norme che l'esperienza, la sana ragione e l'etica sociale cristiana additano come i fondamenti e i principi di ogni giusta riforma.

Già il Nostro immortale Predecessore Leone XIII nella sua celebre Enciclica *Rerum novarum* enunciò il principio che per ogni retto ordine economico e sociale « deve porsi come fondamento inconcusso il diritto della proprietà privata ».

Se è vero che la Chiesa ha sempre riconosciuto « il diritto naturale di proprietà e di trasmissione ereditaria dei propri beni »,[2] non è tuttavia men certo che questa proprietà privata è in particolar modo il frutto naturale del lavoro, il prodotto di una intensa attività dell'uomo, che l'acquista grazie alla sua energica volontà di assicurare e sviluppare con le sue forze l'esistenza propria e quella della sua famiglia, di creare a sè e ai suoi un campo di giusta libertà, non solo economica, ma anche politica, culturale e religiosa.

La coscienza cristiana non può ammettere come giusto un ordinamento sociale che o nega in massima o rende praticamente impossibile o vano il diritto naturale di proprietà, così sui beni di consumo come sui mezzi di produzione.

Ma essa non può nemmeno accettare quei sistemi, che riconoscono il diritto della proprietà privata secondo un concetto del tutto falso, e sono quindi in contrasto col vero e sano ordine sociale.

Perciò là dove, per esempio, il « capitalismo » si basa sopra tali erro-

[2] Enciclica *Quadragesimo anno*

nee concezioni e si arroga sulla proprietà un diritto illimitato, senza alcuna subordinazione al bene comune, la Chiesa lo ha riprovato come contrario al diritto di natura.

Noi vediamo infatti la sempre crescente schiera dei lavoratori trovarsi sovente di fronte a quegli eccessivi concentramenti di beni economici, che, nascosti spesso sotto forme anonime, riescono a sottrarsi ai loro doveri sociali e quasi mettono l'operaio nella impossibilità di formarsi una sua proprietà effettiva.

Vediamo la piccola e media proprietà scemare e svigorirsi nella vita sociale, serrata e costretta com'è ad una lotta difensiva sempre più dura e senza speranza di buon successo.

Vediamo, da un lato, le ingenti ricchezze dominare l'economia privata e pubblica, e spesso anche l'attività civile; dall'altro, la innumerevole moltitudine di coloro che, privi di ogni diretta o indiretta sicurezza della propria vita, non prendono più interesse ai veri ed alti valori dello spirito, si chiudono alle aspirazioni verso una genuina libertà, si gettano al servigio di qualsiasi partito politico, schiavi di chiunque prometta loro in qualche modo pane e tranquillità. E la esperienza ha dimostrato di quale tirannia in tali condizioni anche nel tempo presente sia capace la umanità.

Difendendo dunque il principio della proprietà privata, la Chiesa persegue un alto fine etico-sociale. Essa non intende già di sostenere puramente e semplicemente il presente stato di cose, come se vi vedesse la espressione della volontà divina, nè di proteggere per principio il ricco e il plutocrate contro il povero e non abbiente: tutt'altro! Fin dalle origini, essa è stata la tutrice del debole oppresso contro la tirannia dei potenti e ha patrocinato sempre le giuste rivendicazioni di tutti i ceti dei lavoratori contro ogni iniquità. Ma la Chiesa mira piuttosto a far sì che l'istituto della proprietà privata sia tale quale deve essere secondo i disegni della sapienza divina e le disposizioni della natura: un elemento dell'ordine sociale, un necessario presupposto delle iniziative umane, un impulso al lavoro a vantaggio dei fini temporali e trascendenti della vita, e quindi della libertà e della dignità dell'uomo, creato ad immagine di Dio, che fin dal principio gli assegnò a sua utilità un dominio sulle cose materiali.

Togliete al lavoratore la speranza di acquistare qualche bene in proprietà personale; quale altro stimolo naturale potreste voi offrirgli per incitarlo a un lavoro intenso, al risparmio, alla sobrietà, mentre oggi non pochi uomini e popoli, avendo tutto perduto, nulla più hanno se non la loro capacità di lavoro? O si vuol forse perpetuare l'economia di

guerra per la quale in alcuni Paesi il pubblico potere ha in mano tutti i mezzi di produzione e provvede per tutti e a tutto, ma con la sferza di una dura disciplina? Ovvero si vorrà soggiacere alla dittatura di un gruppo politico, che disporrà, come classe dominante, dei mezzi di produzione, ma insieme anche del pane, e quindi della volontà di lavoro dei singoli?

